Paulus Ioannes.

Martini Insula augusti honoris ... pientiae fortunata.

…et sa

aufpic
Peril
D
I
W
S. T
Col
rum
cu
C

Sa

in A
soph
pro

INSULA

Augusti Honoris & Sapientiæ

FORTVNATA.

IN QVAM

auspicato Virtutis, eruditionis, & meritorum remigio,

Perillustris, Clarissimus, & Admodùm Reverendus Dominus,

D. M. PAULUS IOANNES WOIEWODZKI,

S. THEOLOGIÆ DOCTOR & PROFESSOR, Collega Major, Ecclesiarum Collegiatarum, S. FLORIANI CUSTOS, Pilecensis CANONICUS, Lenczyciensis CANCELLARIUS, Cathedralis Cracoviensis pro Solennitatibus CHRISTI Domini & B. V. MARIÆ CONCIONATOR, Minogensis CVRATVS,

Solenni Actu suæ Responsionis,

PRO LOCO

Inter Perillustres & Admodùm Reverendos Dominos,

ALMÆ VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS,

Sacræ Theologiæ Doctores, obtinendo,

ENAUIGAVIT.

A

MARTINO FIDETOWIC,

in Alma Vniversitate Cracoviensi, Artium Liberalium & Philosophiæ Baccalaureo, in Colonia Neocorcinensi Poëtices Professore.

profundo obærati pectoris voto, & debito gratitudinis obsequio

DEMONSTRATA.

Anno Domini 1691. Die 27. Mensis Augusti.

CRACOVIÆ, Typis Vniversitatis.

I N S U L A
Auguſti Honoris & Sapientiæ
FORTVNATA.

AD beatæ felicitatis Inſulam,
quam dulces nonniſi perflant iucunditatum Eteſiæ,
difficilem emetiri Oceanum,
inſita quidem eſt vis cuiq; mortalium ;
non rarus tamen dum procelloſos eluctatur turbines,
naufragus interit.
Excubant ad illam mille difficultatum portenta,
& caſum præcipitem funeſta minantur pericula:
Iupiter æquoreus, poſuit hîc maritimos ſatellites,
cinctam canibus ſæuis ſcyllam rapacem, naufragaſq́; ſirtes;
ne ſuum inerme imperium,
inſolenti ſcindatur remigio:
fœderatis cum Æolo imperat armis,
cui contorto vortice ad nutum ſuccurrit ;
ut ita, ad felices Inſulas, difficile commonſtrent iter.
Euanidam captat ſpem ad optatum perveniendi portum,
qui obſtantia ſibi pericula,
vaſto labore, & exundanti ſudore non exſuperat:
citiùs ad Caphareum deflexeris,
aut impegeris in Maleam,
quàm Fortunatam Inſulam ſalutabis;
niſi glorioſus viceris ſpumantia vada.
Hannonem Carthaginis Libycæ Imperatorem,
non ſine magno labore, & ſuæ vitæ diſpendio,
per immenſa pericula, & infames ſcopulos,
ultra Herculis columnas, proſperâ triremi lenis deuexit Favonius:
aſt Dædalides vada reformidans,
pennis aëra audacter nimiùm ſecans, ea præceps ſubijt;
Æſonides enatans pericula, tulit aureum vellus.
Ita profectò
difficilia quæ pulchra.
Eximij honoris & trabeatæ ſapientiæ Inſulam,

anxiæ curæ ambiunt, & pericula circumstant;
ut in arduo funestis casibus circumseptam,
cuiq; attingere sine magno labore & sudore sit inconcessum.
Multos ad tanti honoris apicem contendentes,
vel iniquus obruit Auster, remissior laboris industria,
vel naufragium sæuaq; pericula suppresêre:

Tu,

Perillustris, Clarissime & Admodùm Reverende Domine,

D. PAVLE WOIEWODZKI,

Sacræ Theologiæ Doctor & Professor DIGNISSIME,
per aspera & inuia, magnosq; difficultatum recessus,
virtute duce, & comite labore,
quæ sibi mutua iuuamina sunt,
iter tentâsti;
plures vel imbelles facti, vel subitis territi periculis,
ad ima relapsi hæsêre, & in Ferream,
Tu pertinax recti, & victor laborum
in Fortunatam Honoris & sapientiæ Insulam, felicissimus enauigasti.
Ita nempe,
dum Tibi teneras paravit casta Lucina Fascias,
genasq; satis formoso penicillo, natiuus depinxit virtutis color;
non extra fabulam Midæ, formicæ in os grana congesserunt,
Tibi extra fucum semina Indolis egregiæ
generosa Parentum inseruit virtus.
illuxit adhuc in Fascijs, gemmeis Tuis ocellis aurea Cynosura,
cunas Tuas vagientes, natiuamque Phasellum,
ridentes circumdedêre Gratiæ,
futurum ad præclara quæq; facinora fortunatiq; honoris Insulam,
prosperaturæ navigium.
Ac subitò pede signans humum ingenui vultus puer,
& masculæ probitatis apparuisti:
dum voto Parentum humanioribus es consecratus Camænis,
docilis ingenij Tui facilitas, & pietatis cultura,
doctæ futurorum Phæbades, bona de Te Orbi auguria dabant;
Te olim fore pro Rostris Periclem,
& ex Cathedra Doctorem admirandum.
studia Tua quæ fuerant in Adolescentia,

 tan-

tanquam in herbis significabant;
quæ virtutis maturitas, & quanā messis industriæ Tuæ sperāda foret.
Nondum ætatis prætextam egressus,
morum togam virilem induisti.
Tenerioribus literis excultus,
obstantia primùm ad honoris Insulam,
fortunatus exsuperâsti pericula,
difficiles Dialecticæ symplegades subtili vincens ingenio:
post, Cursûs Philosophici vada transijsti,
eò gloriosiùs, quò magis assiduus vicibus iteratis.
Inde
properâsti ad victricis præmia frontis, immortalis gloriæ coronas;
quas non priùs Tibi Pallas Academica contexuit,
quàm turbidos perplexitatum gurgites tranandos proposuisset:
hos contemptore inertiæ generoso animo,
sagaci mentis acumine,
admirandâ in rebus prudentiâ,
incomparabili sapientiâ,
solicito & pertinaci in stadio Philosophico devicisti labore;
perbellè sciens,
nunquam socordiæ honoris deberi coronam,
& quos Morphæus amat,
hos dulciter præcinentem cuiq; ad gloriam Orpheum,
virtutemque odisse solere.
Assiduo conatu & robore mentis infractus,
doctæ frontis Tuæ multo perfusæ sudore præmium,
Laurum eruditam reportâsti.
Non dispare virtutum passu, & labore ad maiora contendens,
cursum gloriæ semper continuâsti.
O quam Hyblæo ore, & Gratiâ dulci, Tullio facundior,
devincebas animos audientium!
ore & calamo felicissimus;
in exedris Stoæ & Peripathi,
Divinior Platone,
subtilibus mentes obtusas pungebas argumentis,
suavi emolliens doctrinâ;
quibus sæpe irretiti animi in dubio hærent:
imbuebas Iuvenes moribus,
ipse canon eorum & imago;

Non esse

non esse recti animi iudicans, cuiusdictá & acta discordarent.

Ergo tantis illustris decoribus,
hæc emensus vada,
in Purpureas,
Illustrissimorum Lubomirsciorum Sreniauæ vndas,
à littore soluisti;
non in turbidis, sed dulcibus & placidissimis Gratiarum fluentis,
vela pandens.

Quia

Magni olim & seculis omnibus memorandi,
Reipublicæ Polonæ Civis & Senatoris;
quem nec Cineæ vires, nec Camilli dexteritas exæquare poterant;
Illustrissimi & Excellentissimi Domini,
D. GEORGII LVBOMIRSKI,
S.R.I. Principis, Comitis in Wisnicz & Iarosław,
Supremi Regni Poloniæ Marschalci,
& Exercituum Campiductoris,
pretiosi cordis sui vniones,
Ill: FRANCISCVS Olsztinensis
& GEORGIVS Casimiriensis
interea CAPITANEI.
Hercules & Agamemnones magnanimi,
magni Patriæ nostræ futuri Athlantes,
Tuo Iudicio sapienti, & Institutioni crediti fuêre:
quibus Tu honestissimarum literarum & virtutum instillâsti rorem fecundum;
ac eorum sinuosos in Te deriuâsti Gratiarum rivos,
ut his secundantibus,
prosperiore navigio, ad Fortunatam Honoris & Sapientiæ Insulam,
iter maturares.
Iudicio tandem sapientum & votis Maiorum,
primùm Minori,
mox & Maiori Collegio, Professor dignissimus adiudicatus es;
ut quos enixa teneret cupido:
virtutis & sapientiæ emetiri callem,
tu nova dares consilia & exempla;
& quæ ad se viam impedirent pericula,

ne enitentibus obstarent, obstandoque nocerent;
felici doctrinæ argumento doceres.
Toties Purpuratus Artistarum Princeps,
asperas difficultatum spinas
quæ mentes pungerent discentium,
acutissimo ingenio amputâsti,
hanc togam purpuream,
sangvinei laboris conchylio tinxisti magìs,
maximosq; impendisti amore literarum labores.
Ore roseo instillabas animis generosæ Iuventutis,
dulcem eloquentiam Tylicianus Orator:
iucundum discentibus erat ex Te Professore sapientissimo
dogmata scientiarum & virtutum normam traxisse;
Mirùm citiùs quisq; proficit præcipiente Magistro & exemplari.
Hinc deinceps ad Sacræ Theologiæ Professionem vocatus,
illius recondita mysteria volvens,
& per plures Religiosorum Familias argumento victor,
quem non rapuisti in stuporem?
Tam ingentibus conspicuus dotibus,
non ignorans
haud esse inclytæ virtutis domi delitescere,
nisi honore digna omnibus inclarescat:
summus Macedo non os populi meruisset,
nisi Orbem virtute adimplêsset;
ad beatam vicariamq; Cœli, gentis togatæ Insulam properâsti,
tantò felicior,
quantò Illustrissimæ Mniszchorum Domûs,
pernicibus Septenis celerior Pennis;
Illustrissimi & Excellentissimi Domini,
D. GEORGII VANDALINI MNISZECH
Palatini Volchyniæ &c. &c.
pignus carissimum
Illustris: IOSEPHUM MNISZECH
Capitaneum Sanocensem,
per multas gentium oras circumducens,
sapientiæ Divinæ illic pandisti oracula;
quæ admirati populi, oculis in Te defixis,
velut penduli Memnones attoniti stupebant;
solicitabantque voto maximo,

vt Ca-

ut Cathedras eorum & Musæa,
magnus ex Orbe septemtrionali Professor,
adornares.
At qui florem legit, hortum datorem coronat
Tu,cū decora Tua erudita ex vberibus Palladis Iagellonicæ habueris,
illi, & non alteri consecrata esse voluisti.
Romæ, quantùm circum Te spectantium & admirantium vota plauserint?
quantæ in Disputationibus admirationi fueris?
tacito liceat venerari silentio.
Supremus CHRISTI Vicarius
ALEXANDER VIII.
ob admirandas virtutes Tuas & Sapientiam,
quantùm Nomini Tuo detulit?
Quid ampliùs Tibi restabat,
ad Fortunatam Honoris Insulam?
quem, labor, sapientia, pietas, modestia, & encyclopedia scientiarū,
omnesque virtutes ornauêre,
& cui strauêre viam ad Honoris Capitolium,
Reducem igitur faustis vicibus in Patriam & in sinum suum,
Alma Mater, Te lætissima ulnis suis complexa,
& felicem Tui reditum sibi gratulata est.
Nunc tandem festiua virtuti Honorique Tuo occinit hilaria,
inter quæ nemini licet tristem præferre vultum.
Hæc sunt virtutum Tuarum vestigia,
quibus latum & periculosum ad gloriam iter emensus es;
per tam confragosa & aspera,
Herculeis laboribus, & invicta animi magnitudine,
immortale quæsijsti Nomen;
quousque exsuperatis periculis omnibus,
ad Fortunatam Honoris & Sapientiæ Insulam constiteris:
& iam rarâ virtute, & indefessis laboribus,
victor stetisti gloriosus.
QVARE
dum Te eminus in tam conspicuo honoris solio suspicimus,
colimus, veneramur,
in festivo plausu Tuo exhilaratis gestientes tripudijs;
votis simul pro Te,
ad supremam Orbis Maiestatem,& increatam Sapientiam certamus,
ut vivas Doctorum Corona, & viva virtutum idea,

ſemper in auge Nominis & gloriæ fortunatus.
Et quia ultra Herculis columnas
in Fortunatam Honoris & Sapientiæ Inſulam,
enavigâſti;
ideò, quò altiores maioreſque attigeris honores,
eò feliciori paſſu, & coronato Faſcibus eruditis tramite,
progrediâre,
PLUS ULTRA.

ODE GRATVLATORIA.

DIvæ Sorores Numina proſpera
Adeſte quæſo! dum Sapientiæ
Prenſat Neo-Doctor cacumen,
Aonijs date metra plectris.
Arguta caſtæ tendite barbita!
Io ſonorum, & dulce melos ſonet!
Nunc WOIEWODZKI Magno Honori,
Per Cytharas renovate plauſum.
Excelſa virtus promeruit cani,
Quæ grande fecit Nomen in Inclyto
DOCTORE, quem ſacris corymbis,
Theologum Decus en coronat.
Sudans labores pertulit improbos,
Nulliq; parcens ipſe periculo,
Contendit Inſulamq; Honoris,
Vſq; venit meliore paſſu.
Felix ut amplis auctus honoribus
Vivat, ſecundis non ſine plauſibus;
Nomen ſuumq; glorioſum
Fama ferat volitans per Orbem.
Magnus perennet DOCTOR in exedra,
Oracla pandens; Numina poſcimus!
Deſcribat ut virtute Faſtos,
INSVLA ſitq; Beata ſemper.

Permiſſu Magnifici Domini
RECTORIS.